

Ga. 60.



12 3

DISSERTATIO
DE
ANNALIUM MEDII ÆVI
VARIA CONDITIO

QUAM
RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO AC DUCE
DOMINO

CAROLO
WIRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ DUCE REGNANTE
REL. REL.

PRÆSIDE
CHRISTIAN. FRIEDER. ROESLER
HISTOR. PROFESS. PVBL. ORD.
PRO RITE CONSEQUENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI
HONORIBUS
DIEBUS SEPT. A. MDCCLXXXVIII.

PUBLICE DEFENDENT
CAROLUS FRIEDERICUS SARTORIUS, *Baccnangensis*,
BERNHARDUS FRIEDERICUS KIND, *Monachovilanus*,
CAROLUS CHRIST. FERDINANDUS SIGEL, *Alto - Twiel*.
IOANNES PHILIPPUS WEIGELIN, *Tubingensis*.
GEORGIUS AUGUSTUS GRIESINGER, *Stuttgardianus*.
CHRISTIANUS DANIEL FUCHS, *Eberstadiensis*.
SERENISSIMI STIPENDIARII ET MAGISTERII PHILOSOPHICI
CANDIDATI.

TUBINGÆ
LITTERIS SCHRAMMIANIS.

x - 3 1/2

Postea quam historici veterum Græcorum Romanorumque libri, ubicunque terrarum eruditionis laus & honos efflorescere cœpit, tam exquisita variaque diligentia perpoliti sunt, ut vel critica arte vel interpretandi præceptis ad certum in historia usum apte præpararentur, eaque opera non amplioribus tantum aut gravioribus scriptis eius generis, sed obscurioribus etiam minutisque adeo fragmentis præstita fuit: profecto sæpe numero mirati sumus, quî adhuc factum sit, ut nulla usquam eiusmodi quasi Concertatio vel olim orta sit vel nunc compareat ad illustrandos atque emendandos posterioris h. e. *medii ævi* a) scriptores, quos tamen in magnos acervos doctorum homi-

-
- a) Suspicio, fore, qui accuratiorem huius *medii ævi* circumscriptionem desiderent. Sejunctum illud ab antiquo & novo tempore per eos est, quibus usitata illa historiae divisio, quæ alias a Nativitate Christi servatoris sumta fuit, non unice placuit. Eius autem fines video a diversis diversimode esse constitutos. Incepere illud vel a decremento Romani Imperii vel ab invasionibus Barbarorum vel a Constantino Magno vel ab originibus Monarchiæ Francorum vel a Muhammede vel a Carolo M. Finivere autem vel literarum restitutione vel Columbi in Americam itineribus vel Maximiliani Imperio vel Sacrorum Reformatione. Itaque tria ista facile conspicimus: *Primum* in definiendo *medii ævi* principio magis ab se invicem distare auctores, in finiendo hoc temporis spatio propius ad se accedere. *Alterum*, & incipiendi & finiendi causas a diversis rerum generibus peti posse & petitas esse, ut a con-

hominum sedulitas concessit. Etiam si enim facile concedamus, ab iis simili aut pari cum studio tractandis sive dictionis barbarie sive inepto & prope anili narrandi genere, quo fere isti
 anna-

stitutione rerum publicarum, religionis novis formis, commerciorum conversione — *Postremum*, quamvis eiusmodi a quibusdam terminis figantur, qui non facile ad unius mensis aut anni ambitum adstringi possunt, tamen eam esse communioem eruditorum sententiam, quæ medium ævum sua quidem initia seculo quinto cepisse statuit, exeunte autem decimo quinto in finem vertisse. Nuper admodum Pütterus, Vir ill. (Etwas zur vorläufigen Uebersicht des teutschen Staats-Rechts der mittleren Zeiten p. 4.) de hac re ita disputat: „So hat man bisher in Abtheilung der allgemeinen Weltgeschichte mit dem Verfall des westlich Römischen Reichs und mit der fast zugleich neu entstandenen Fränkischen Monarchie einen Hauptabschnitt gemacht und den darauf gefolgten Zeitraum bis zur Entdeckung von America unter dem Namen des Mittelalters begriffen, als eine Zeit von ungefähr tausend Jahren, worinn fast ganz Europa sich in einer andern Gestalt als vor und nachher zeigt.“ Paulo post autem initium medii ævi ad res Germaniæ magis accommodaturus hæc addit (p. 5. 6. l. c.). „Wenn man auf gleiche Art den Anfang des Mittelalters nachdem was Teutschlands Geschichte Eignes hat, genauer bestimmen will, so zeigt sich doch zwischen den Zeiten des fünften Jahrhunderts und einigen Jahrhunderten später noch ein solcher Unterschied in der Verfassung unsers Vaterlandes, daß man Ursache genug hat, zwischen der teutschen ältern und mittleren Geschichte eine noch einige Jahrhunderte tiefer heruntergehende Grenzlinie zu ziehen — wenn es also darauf ankommt, den Anfang des teutschen Mittelalters noch genauer auf Jahr und Tag zu bestimmen, so wird man nicht fehlen, wenn man entweder das Sterbejahr Carls des Grossen 814. oder den Verdunischen Theilungsvertrag seiner Enkel 843. oder endlich

annalium libri utuntur, non posse non absterrerī elegantiorum
 literarum amatores, tamen cum docti viri non tam sua se diligen-
 tia pascere, quam ceteris prodesse videri volunt, tum hæc monu-
 menta, quo minus digna singulari cultu aut cura videri possent,
 eo magis indiga illius judicari debebant. Imo vero si res ipsas
 spectemus, (quod quem magis deceat quam doctos viros?) nullo
 modo putandum est, Romanorum simulationem Græcorumve
 vaniloquentiam his annalibus sive veriora nobis semper sive
 utiliora proposuisse, vel res gestas illorum magis ad nos perti-
 nere iis, quas hi de *medio ævo* nobis prodiderint, quibusque nul-
 lum dubium est nostra tempora & res nostras multo magis illu-
 strari & explicari posse, quam universis Græcis aut Romanis
 literis. Igitur, qui artem criticam ad tractandas historias adhi-
 bere cupiunt, quam non pauci hodie præ se ferunt, permulti
 parum instructi exercent, amplissimam hæc & diligentia &
 laudis materiam pridem potuissent invenire. Sed adhuc il-
 lud fere unice actum est, ut quæ in monasticis Bibliothecis
 delituerunt *medii ævi* monumenta, *Chronica*, *Epistole*, *Diplomata*,
Biographiæ, omnisque generis narratiunculæ conquirentur atque
 in

*endlich den völligen Umsturz seines Stammes 888. zum Anfange dieses
 Zeitalters annehmen will.*“ Igitur liberum & sibi sumit et ceteris, opi-
 nor, similiter relinquit V. III., in unaquaque historia, Juris, literarum,
 Religionis — Francia, Germania, totius Universi, ut fert res & occasio,
 mediæ ævi fines accuratius constituere. Nos quidem hanc nobis pariter
 veniam petentes consuetos mediæ ævi terminos nolumus coarctare, eique
 sententiæ, quæ nobis usitator videtur inhæremus.

in lucem publicam protraherentur; in quo negotio tam se officiosos multi exhibuere, ut fastidium etiam cupidissimis harum rerum moverint atque invidiosas quorundam querelas excitaverint. Isto enim tam effuso studio nata sunt illa *Spicilegia*, *Lectiōnes antiquæ*, *Theſauri anecdotorum*, *Analeſta*, *Colleſtiones*, *Reliquiæ*, *Miſcellaneæ*, *Bibliotheca*, *ſelecta* & qui ceteri ſunt tituli magnorum Voluminum, quibus quæ paſſim invenere hujus antiquitatis inveſtigatores non niſi eo, quem caſus ſubminiſtrabat, ordine ſervato complectebantur. Et in his quidem non omnia ſunt hiſtorici argumenti, multa etiam meræ mediæ ævi quiſquilix; tamen ſubinde inter cetera reperiuntur non contemnendi annales, qui vel nunquam antea editi erant, vel nunc pleniores aut correſtiores exhibebantur. Neque etiam deſuere, qui *ſcripta ejus temporis hiſtorica ſelegerunt*, non haſtenuſ tantum certæ cuidam ſcriptorum claſſi operam ſuam deſtinantes, ſed plerumque etiam preſſius vel generali quam vocant hiſtoriæ vel cujuſdam terræ aut regni propriæ conſulere volentes. In iis præcipue ſunt Scriptores rerum *Francicarum*, *Italicarum*, *Anglicarum*, *Hiſpanicarum*, *Belgicarum*, *Danicarum*, *Polonicarum*, *Ruſſicarum*, quorum ſæpe plures unius regni proſtant ingentes ſuntuoſæque Colleſtiones. Inter omnes autem ſi non eruditione & diligentia, tamen numero & varietate eminent *colleſtiones*, quæ de *ſcriptoribus rerum Germanicarum* factæ ſunt. *Novendecim* enumeravit recenſuitque *Struviana* Bibliotheca: *Hervagianam*, *Schardianam priorem*, *Pithoeanam*, *Schardianam alteram*, *Reineccianam*, *Piſtorianam*, *Reuberianam*, *Urſiſianam*; & haſ quidem e ſeculo decimo ſexto: deinde e ſequenti *Freherianam*, *Goldaſtianam*, *Lindenbrogianam*,

gianam, Kulpifianam aut Schilterianam, Meibomianam: denique e
 nostro Heineccianam aut Leukfeldianam, Leibnitianam, Ludewigia-
 nam, Eccardianam, Schannatianam & Menkenianam. Non omnia
 ista corpora unius pretii esse, pronum est suspicari: quædam
 etiam non modo mediæ ævi scripta sed & recentiorum super iis
 rebus tractatus aut dissertationes continent. Sunt tamen pauca,
 quæ non unum alterumve nobiliorem mediæ ævi scriptorem quasi
 proprium sibi exhibuissent, quanquam passim etiam in iis com-
 parent, quæ Germaniæ vel exiguam tantum partem respicere
 vel omnino limites transgredi videntur. Nimis autem longum
 foret, etiam ceteras commemorare collectiones quæ vel provin-
 ciis Germaniæ ut *Austriæ*, *Bavariæ*, *Sueviæ* cet. vel *Ecclesiis Germa-
 nicis* destinatæ fuerunt. Aliud quicquam subnotandum succurrit.
 In tanta enim scriptorum multitudine atque varietate & tempo-
 rum, quo se referunt, distantia, cum facile sentiretur, quam
 difficilis esset eorum selectio & comparatio ad sumendam inde
 condendamque, quam quisque vellet, historiam, in mentem
 aliquibus venit, non ea tantum, quæ ad regnum aliquod, sed
 etiam quæ ad certam ejus periodum pertinerent, collecta edere;
 quod sane historiæ studiis non poterat non magno esse adjumento.
 Ad hunc modum institutæ sunt imprimis quædam Collectiones
 scriptorum & Germanicarum rerum & Francicarum ut *Ursifiana*,
Chesniana, *Bouquetiana*. Harum postrema, quæ & splendidissima
 omnium est & amplissima & politissima, per minora quidem
 temporum intervalla annales & monumenta divisit: tamen pri-
 mum id molestiæ ea res secum tulit, ut unum sæpe Chronicon
 in plures tomos dissectum atque dispersum sit, deinde quod
 etiam

etiam longe pejus esse videbitur, multi hujus antiquitatis commentarii non integri adsunt, eaque tantum ex iis servata atque extracta, quæ ad illustrandam Franciæ historiam prodesse existimabantur. Sed, ut hæc finiamus, præter has collectiones omnes incredibilis quædam superest Chronicorum copia aliorumque hujus ævi & generis scriptorum ^{b)}, quæ vel singulariter edita sunt,

b) Non desunt quidem Catalogi scriptorum mediæ ævi historicorum, sed eorum tantum, quos typis expressos habemus. Perutile autem foret, & horum Codices ubi passim delitescant scire, (e quorum curatori inspectione descriptione & collatione multa sine dubio in hoc genere illustrari & disci possent) & quæ forte de hoc ævo supersunt alia Chronica typis nondum vulgata. Indices autem manuseriptorum, quos non paucos habemus, hoc genus scriptorum nimis negligenter tractare solent. Sed nec, qui prostant, impressorum annalium Catalogi ad usum satis mihi tuti aut idonei videntur. Etenim Struviana illa recensio, quam supra commemoravimus, Chronica quidem, quæ separatim prodire, non indiligenter affert, at monumentorum quæ in collectionibus comparent neque argumentum neque cetera describuntur, unde de usu & pretio eorum statui possent. Habet etiam quosdam errores, quos novum Editorem spero correcturum esse, ut cum Otto Frisingensis ab Urstiso primum editus dicatur. (p. 796.) Hæc ipsa enim Bibliotheca paulo ante Pithoeanam editionem (p. 778.) jam commemoraverat; & ne hæc quidem prima fuit, sed antiquior, quam Cuspinianus a. MDXV. curavit. Multo quidem utilius est Directorium illud, quod Freherus quondam Chronologico ordine composuit, suisque rerum germanicarum scriptoribus præfixit, Kœhlerus postea emendavit & auxit (1734. 4.) postremo Hambergerus (1774. 4. maj.) edidit. Inde quodque Chronicon a quo tempore ordiatur, ubi desinat, accurate disci.


sunt, vel in aliis libris exstant, ubi non solent quæri aut expectari, vel in Bibliothecis passim nondum aut typis expressa aut cum editis comparata in pulvere & sordibus jacent, quanquam multis forsitan auctoribus aut eorum locis egregiam lucem dare possent.

Quotiescunque immensam hanc, sed rudem atque indigestam molem *monumentorum mediæ ævi* animo & quadam parte oculis contuebar, iniqua tum eorum sorte, tum universæ historiæ, quæ ex iis peti unice potest & debet, non mediocriter fui commotus. Etenim cum cujusque opificis prima hæc cura sit, ut instrumento utatur bono politoque, atque imprimis non ineptum historicum oporteat videre, ut puros habeat fontes, eosque certis signis dignoscat, & ex iis tuto hauriat, quid tandem de innumeris illis-

scripto

discimus. Diversæ ejus etiam in Collectionibus editiones atque editionum merita prolixè recensentur; quam ætatem plures inter hos annales communiter tractent, ut queant inter se comparari, facile ibi contuemur. Tamen quas quodque Chronicon res maxime tractet, Germanorum Francorumve, civiles an Ecclesiasticas, aut quoad in fontibus illud habendum sit & quæ sunt alia usum maxime historicum spectantia, frustra requiris. Nec pauca aut plane omissa aut uno tantum nomine, quanquam sub pluribus passim citantur, allata sunt. Finckii autem Index in Collectiones Script. rer. germ. 1737. 4. nonnisi compendiosum alphabeticum est Directorii Frehero - Koehleriani. Præfationes Bouquetianæ Collectionis in hoc genere omnium optimas invenimus; judicia autem de scriptoribus lata e pluribus sæpe tomis colligenda & conferenda sunt.

B



scriptoribus sentiamus, qui ex isto rudeto historiam mediæ ævi inprimis Imperii Romano Germanici corradere ausi sunt, atque etiam nunc audent, anteaquam instrumenta ista sua h. e. monumenta antiquitatis non dicam satis purgaverint, sed omnino a se invicem discernere & judicare solide didicerint?

Profecto gratiæ habendæ sunt iis, qui Chronica, de quibus sermo nobis est e tenebris eruere, atque etiam alias ejus generis reliquias typis exprimendas curavere. Non quidem tam graviter in nimiam istam multorum liberalitatem invehar, qua inter aurum argentumque stramen etiam & stuppam nobis porrexerunt, quanquam severe a quibusdam & pœne acerbe tractati sunt. Iniquum mihi videtur ab iis, quibus veteres alicubi caritas reperire contigit, id postulare, ut tam scrupuloso examine caverent, ne quid, quod nulli foret usui, typis repeteretur; quod ipsi, præsertim suis temporibus, ne scire quidem sæpissime poterant. Plura quidem Chronica aliaque monumenta bis vel ter in diversis Collectionibus repetita esse constat: sed ne illud quidem tantopere reprehendimus, quamvis docti viri subinde præoptassent, ut loco repetiti universi textus variantes tantum lectiones breviuscule fuissent adnotatæ. Sed longe plurimi istorum annalium haud tantæ sunt molis, ut eorum repetitio ejusmodi Collectionem multo cariorem reddidisset, in ipso autem ejus usu percommodum est sine dubio Lectori, conjunctim præ se habere ea, quæ ut diligentius inter se compareret, vel argumenti dictionisve similitudo requirit, vel aliæ causæ suadent. Ista etiam hujus ævi syntagmata, cum, ut vidimus, non uni aut
terra

terre aut temporis intervallo destinata omnia ab auctoribus fuerint, reperianturque inter istas reliquias, quæ genus historiarum multiplex complectuntur, has quidem uni alterique collectioni inferere, rei ipsi plane erat consentaneum. Accedit, si quidem pro mei sensus meæque observationis exemplo definire quicquam liceat, quod longe & facilius & certius nonnunquam critici sit de loco dubio iudicium, si textum diversi Codicis integrum præ oculis habeat, quam si excerptæ solum varietates mente ex alio volumine quasi transferendæ sint. Imovero si repetitis annalium editionibus ne hoc quidem beneficio semper maectemur, ut diversarum recensionum loco esse possint, nondum tamen, qui eas curavere, damnari inauditos vellem. Possunt enim plures aliæ exque satis probabiles causæ intercedere, præsertim ubi ejusmodi Chronica vel separatim ante edita erant, vel in rarioribus tantum Collectionibus, ut sic forte parabilia redderentur. Certe harum rerum studiosis minus molestum erit bis & ter invenire Hermanni Contracti Chronicon, quam Annales Metenses desiderare, qui, quod sciam, nonnisi in rarissimis & sumtuosissimis collectionibus reperiuntur.

Unde equidem hanc tantam Editorum officiositatem hæctenus satis excusatam habeo. Sed est alia culpa, a qua difficilius sit, eos liberare. Negari enim vix potest, plurimas harum Collectionum ita esse comparatas, ut, quæ ibi comparent monumenta, multum adhuc laboris curarumque deprecant, donec ad usum in historia rite queant adhiberi. Sunt quidem nonnulla, perpauca tamen, diligentius edita atque præparata; atque etiam

ingrati animi foret, ab editoribus flagitare, quæ præstare multi eorum non poterant. Dabant, quæ habebant, cum, ut ceteris desiderii nostris satisfacere, subsidia forte non suppeterent. Certum tamen est, fuisse, qui de annalibus ab se editis melius mereri potuissent, nisi multa & magna eorum Volumina edere maluissent c). Sed hæc jam multis verbis vituperare cum nemini profit,

c) Huc conferri potest egregius quidam Libellus: (*Versuch den Gebrauch der Quellen in der Staats- und Kirchengeschichte der mittleren Zeiten zu erleichtern; bey Gelegenheit der angefangenen Fortsetzung der Baumgartenschen Kirchengeschichte aufgesetzt von D. Jo. Sal. Semler, Halle bey Gebauer 1761. 8.*) cujus tamen Lectoribus facile patebit, clarissimum Auctorem Chesnianam, Pistorianam atque alias quasdam ejusmodi Collectiones tum ante oculos habuisse earumque quandam generaliore, criticam tamen, Recensionem suscepisse, quod tamen ita, ut solet, effecit, ut multa tum ab illis editoribus negligenter habita reprehenderet, & quomodo rectius tractanda fuissent, passim observaret. In his sunt, quæ sequuntur (p. I. S.) „Man koennre nicht wenig nach und nach in solche Sammlungen eingerückte Stücke gar wohl entdecken, welche fast gar keinen Gebrauch von sich verstaten, als die Unseßigkeit oder die Schranken, zu entdecken die ihren Urhebern eigen sind, welche bloße Abschreiber gewesen, und zuweilen einige richtigere Lesarten daraus anzunehmen, ohne sie abermalen ganz abzudrucken. Je mehr man mit solchen Chroniken oder historischen Aufsetzen bekannt ist, desto mehr wird man sich wundern, — — daß so viele alte Papiere gleichwohl auch in unsern Zeiten wieder gedruckt oder in ansehnliche Sammlungen gesetzt worden, die kaum als elende Copieen anzusehen sind, und folglich auch berühmten gelehrten Männern, welche so freygebig gewesen, sie immer drucken zu lassen, nach ihrer Beschaffenheit nicht bekannt gewesen.“ Pergit idem p. 7. not. I. Dies ist ein Vorschmack von dem was ich jetzt weiter anführe, und

profit, eo potius intendamus animum, quid agendum superfit, ut tanta hæc Chronicorum moles digeratur, ordinetur, purgetur, atque ad doctum in historia usum solertius adaptetur.

Eo autem, si quid in his rebus video, labor potissimum triplex requiritur. Ante omnia enim illud discendum est, quinam istorum annalium ad *fontes* referri debeant, qui sint de quaque causa testes, aut coævi, aut certe primi & antiquissimi, a quibus ceteri fere pendent, quos describunt & expriment. Ea res, ut deinceps videbimus, multo plures & difficultates & cautiones habet, quam multi sciunt aut credunt. Sæpe jam displicuerent non satis doctæ citationes, quas apud novissimos quosdam & laudatissimos Germanorum historiae auctores deprehendimus, quos, multis quidem de fontibus magnifice præmissis, videmus e. g. Reginonem citare, ubi Loiselianos Annales ad verbum descripsit, aut Metenses, ubi nonnisi Fuldenses excerptunt, aut ad Hermannum Contractum, quem inter meliores auctores esse forte audiverunt, de iis etiam temporibus provocare, quorum historiam nonnisi aliena fide exhibuit. Deinde vero in quam plurimis ne textus quidem satis accuratus est, quem major pars editorum aut plane neglexit, aut ingenio tantum suo ita tractavit, ut pejorem etiam

und man wird einsehen, wenn es eine Allgemeinheit und Ausdehnung bekommt, daß der Gebrauch der Quellen viel leichter und bequemer gemacht werden müsse, gleichwie auch daß die Geschichtskundigen bisher zu wenig Fleiß angewendet haben, die Quellen der mitteren Geschichte in besserer Gestalt und größerer Sicherheit zu liefern.“

etiam reddiderit, quamvis critica ars in hoc genere scriptorum magna & sibi quasi propria adjumenta habeat, quibus loci dubii aut corrupti tum inveniri tum restitui possent. Denique vero in sanis etiam locis multa occurrunt tum verba tum facta, quæ illustratione, explicatione, confirmatione, correctione opus habent, siquidem & Chronicorum narrationibus, digna eruditis methodo, uti velimus, & studiosos harum literarum ad hanc artem manu quasi adducere. De quibus omnibus jam præcepta dare, quæ & satis forent circumscripta, & omnia aut præcipua saltem quæ huc pertinent complecterentur, sane nec ante me quisquam in se suscepit, neque ego nunc hac scriptiuncula ausim: tamen, non tam levitatem illam vanitatemque, qua hoc tempore conditi solent historiæ, aliquomodo repressuri, (neque enim monitorem fert horum scriptorum insolentia,) quam nostris potius Auditoribus profuturi, suppeditabimus quasdam Observationes, quas e diligentiori & diuturna horum fontium tractatione & comparatione nobis sensim collegimus.

Quod igitur in universo hoc negotio primum & præcipuum esse debet, ut curiose dignoscantur scriptores aut annales, hujus ætatis historiam enarrantes, quorum pauci tantum tanquam primarii & cœvi testes pro una quaque periodo valere possunt, longe autem major pars in alteram Classem rejicienda est, cujus & recensio & fides a prioribus illis pendet; id quidem fieri haud recte poterit, nisi de Chronicorum istorum historia & indole quædam præmonuerimus.

Post-

Postquam Romani amissa & reip. libertate & imperii vi, invadentibus eos undique Barbaris, ipsam adeo sermonis gravitatem puritatemque misere perdidissent; inter Christianos maxime, quorum Religio veterem superstitionem vincere seculo quarto, & publica auctoritate expellere cœperat, cum & literas elegantiores omnes paululum suspectas haberent, & historicam artem fere contemnerent, exile quoddam nimisque siccum scribendæ historiæ genus eminuit, quod factos magis Romanorum, quam Livianam eloquentiam, aut Polybianam methodum imitabatur, quamvis non profus defuerint, qui cum quasdam veterum formulas mutuarentur, omnino meliora illa exempla expressisse videri volebant. Proferebant autem plerumque historias suas sic, ut, varia usi Chronologia, ad prænotatum cujusque anni numerum, quicquid illis memorabile sive ad aures venisset, sive in oculos incidisset, notarent, paucis ut plurimum verbis, rarius cum aliqua adjunctorum causarumque recensione, omnis generis res miscentes, nec facile alium ordinem servantes, quam quem vel tempus vel exempla sua præbebant. Historiarum potius Chronologicum indicem, quam plenam descriptionem dixeris, nuda potius ossa Corporis, quam ipsum Corpus. Annales vel Annalia hos libros vocant, sive Chronica aut Chronicas; quo utroque nomine unum idemque librorum genus significari arbitramur, non adsentientes iis, qui Annales quidem vitas modo Regum præsertim Francorum recensere, Chronica autem omnis generis historias complecti existimant ^{d)}.

Horum

d) Seml. I c, p. 36, n. 10. *Chroniken zählen eigentlich die einzelne Regierungsjahre der Könige und Kaiser, sie erstrecken sich auch über die Merkwürdigkeiten des Orients*

Horum autem scriptorum numerosum agmen ducit, *Eusebius*, Episcopus quondam Cæsareensis, qui cum Chronicon quoddam a primis mundi initiis usque ad sua tempora conscripisset, post ab *Hieronymo* & latine redditum & continuatum; non tam *Eusebium* illum, quam hunc celebratissimum Latinae Ecclesiae patrem

Oriens sowohl als des Occidents, ob sie gleich nicht zum Besten gewählt worden. Die ältern Annalen richteten sich nach dem Anfang und Ende vornehmlich der Fränkischen Regierungen, ohne sich an die Begebenheiten zu kehren, die mit ihren Handlungen und Staaten in keiner Verbindung stehen. Dies sind anfänglich vollständige Beschreibungen gewesen aller Feldzüge und politischen Handlungen dieser Könige, wenn die Regierung aus war. Bey dem Tode des Königs war es zugleich eine historische ziemlich vollständige Lebensbeschreibung, obgleich ohne Rhetorische Künste“ p. 47. „wenn gleich der verdiente *Leibniz* den Nahmen *Annalista* (*Saxo*) aufgebracht hat, den man zu kurzer Bezeichnung auch nachher ferner braucht, hätte doch der Herausgeber (*Eccard*), da er dies Stück genauer eingesehen, es wissen müssen, daß es nicht *annales*, sondern eher *Chronicon* heißen müssen. Es sind allerley Veränderungen, nicht blos politische in Einem grossen Reiche, sondern was sich überhaupt überall zugetragen hat, angemerkt worden“ p. 36. „So gewis auch eine *Chronik*, eine *Reichsgeschichte* und *Jahrbücher* an sich von einander verschieden sind, so wenig ist in diesen Zeiten stets der Unterschied beobachtet worden“ quod postremum adeo verum esse arbitramur, ut omnino negemus discrimen illud inter *Chronicon* & *annales* sive ipsis illis libris historice sive honorum auctorum testimoniis confirmari posse. Sed quæ *Græce* *χρονικα* dicebantur, *Latine* *Annales* erant; *Loiselianos*, quos omnes vocant *Annales*, cum *Rhegino* exscriberet, annoque *DCCLV*. quædam aliunde interposuisset; His interpositis, inquit, ad *Chronica* redeamus.

magna multitudo secuta est, tum continuatorum tum imitatorum, qui, quamvis quovis fere anno finem mundi expectarent atque etiam vaticinarentur, præteritos tamen casus mundi more suo notabant. Et eorum quidem prope omnium, qui ab Hieronymo in hoc genere scribendi proximi fuere, satis expedita est causa, ut de auctoribus ipsis eorumque fide haud multum adhuc dubitatum sit; quo numero sunt *Tiro Prosper & Idacius*; post *Cassiodorus, Marcellinus, Victor Tununensis, Marius Aventicensis, Isidorus Hispalensis*, qui vel priores illos continuarunt, vel omnino ab ovo orsi sunt historias suas. Fuere quidem & tunc & postea Ecclesiæ Latinæ scriptores, qui annalium forma, quam descripsimus, magis minusve repudiata, aliquanto liberius res gestas enarravere, ut *Ruffinus, Severus, Orosius, Jornandes, Gregorius Turonensis, Beda, Paulus Diaconus* — quos si a ceteris illis quodammodo sejungere malis, nihil impediam. Verum prius illud genus, quod, cum literæ ad Ecclesiasticos maxime homines confugissent atque inprimis in monasteria, quæ Benedicti Religio & amor-exstruxerat atque impleverat, tum copiosius multo, tum, quod de auctoribus incerta sæpe res sit, obscurius factum est, curioso harum rerum indagatori haud parum molestiæ creat, præsertim ubi in tempora Pipini & Caroli M. incidit. Ab ætate enim Carolingerum, quorum aliqui erant bonarum literarum potentissimi fautores, qui civium animos omni ope ad eas excolendas revocarent, inter multa alia illud non postremo factum esse arbitror, ut historiæ pro seculi captu & ingenio diligentius tractarentur, & monasteria & Ecclesiæ sua etiam Chronica habere sibi aut comparare cuperent. Quis enim *Glabro Rudolpho*

C

credat

credat in præfatione ad Odilonem tam imperite neganti, *spatio fere ducentorum annorum* (scribebat autem versus medium seculi undecimi) *i. e. post Bedam Britannia Presbyterum seu Italiae Paulum existisse quenquam, qui historialiter quippiam posteris misisset scriptum: aut Hugoni Floriacensi, qui non multo post profitebatur, ante sua tempora literis a nemine mandata fuisse Francorum Regum acta a Ludovico Pio usque ad Ludovicum sextum Crassum e),* quos, qui supersunt hoc nostro tempore, e seculo nono & decimo annales satis refellunt. Illi igitur in monasteriis homines aut inter suos habebant, qui, sive suo ipsorum amore & impetu ad subnotandos sui atque etiam pristini temporis casus ferrentur, sive a fratribus aut antistitibus ad hunc laborem excitarentur f),
aut

e) Conf. Collect. a Bouquetio coeptæ T. X. p. 1. T. XI. præf. §. XXXVI. XII. p. 9. Hugonis Floriacensis Monachi epistola nuncup. ad Mathildem Imperatricem in libris de gestis modernorum Regum Franciæ: „quo etiam in Libro modernorum Regum Francorum actas vobis breviter explanare curabo, eorum videlicet, qui post Ludovicum Imperatorem regnaverunt in Francia ad deliniendum animam vestrum. Quæ nusquam historia seriatim digesta, sed huc illoque quibusdam in codicibus inserta, & aliis tractatibus interfusa tenetur; eo quod nemo usque modo eam curavit in unum corpus aggregatum congerere, & in unius libri formam redigere.

f) Script. rer. Francic. Coll. a Bong. coept. T. XII. præf. §. XXI. In Antissiodorensi Ecclesia mos olim inoleverat, ut post Episcopi cuiusque obitum gesta ejus literis mandarentur. Utinam vero ab hujus Ecclesiæ incunabulis traheret originem tam laudabilis consuetudo. Existat quidem in Labbei Bibliotheca nova manuscriptorum: (I. 411.) Historia

aut aliunde ejusmodi annales, qui forsitan celebritatem aliquam consecuti erant, sibi mutuo expetitos in usus suorum aut describere aut describendos curavere; integros quidem, si nihil ejusmodi antea aut forte nimis discrepantes habuissent, aut eam certe recentiorum temporum partem, qua adhuc desituerentur. Enimvero non credibile solum est, sed plane certum, libellos istos inspicientibus, diversimode cum illis a describentibus actum fuisse; aliis exacte illos depingentibus, aliis eosdem vel emendantibus vel contrahentibus vel amplificandibus; de qua tamen re post dicendi locus erit. Neque in hac tanta annalium varietate & copia mirum cuiquam aut alienum videri debet, quod adeo publica etiam e. g. Synodorum cura passim intercesserit, ut ne nimis ejusmodi libri inter se discreparent, cujus instituti aliqua habemus testimonia s). Ista vero omnia & subtilius cognovisse & diligentius ipso usu adnotasse, quantam vim habere debeat

storia Episcoporum Autissiodorensium a S. Peregrino regionis apostolo ad Jacobum Amyotum. Non. Febr. 1593. demortuum. At longo post Peregrinum tempore inchoatam illam fuisse, innumera prope, quibus scetet, ad decimum usque seculum menda demonstrant,

- g) Usa est Praefatio Coll. Bouq. T. XIII. p. III. Scoti Chronici auctoritate, (a Gibsono jam ante adhibita), cujus verba haec sunt; statutum est convenienter in Anglia (*ut audivi*) quod unumquodque monasterium a Regibus fundatum haberet de ipso loco suum certam scribam vel scriptorem, a quo omnia notabilia tempore Regis saltem in Regno vel e vicinis contingentia, secundum quod veritas facti se haberet, cum data annotarentur, ad proximum generale Concilium post obitum

C 2

Regis

debeat ad recte judicandam illorum Chronicorum auctoritatem & fidem, facile omnes opinor intelligere. Unde hoc, quod nescimus, an ab aliis jam factum sit, opus erit, ut universam istam annalium multitudinem pro varia, qua sunt conditione, in certas suas classes dispescamus.

Quamobrem I. ante omnia ad *nomina*, quibus insigniri solent attendamus.

A. Sunt quidem eorum aliqui, sed perpauca atque omnes hi breviores, *ανωροποι* h. e. nullo neque auctoris neque editoris nomine notati; quod probare nullo modo possumus, propterea quod eos molestum sit tum citantibus definire, tum quærentibus invenire. Eorum exempla in Bouquetiana Collectione reperimus.

B. Sed multo etiam magis illud displicet, quod aliqui eius generis libelli plura nomina acceperint, quibus imperitiores facile conturbantur, aut certe impediuntur, ut *Iperii Chronicon*, quod vulgo *Sithiense* dicitur, aut *Casauriense*, quod idem etiam *Piscariense* nuncupatur, aut *Annalista Saxo*, qui e. g. apud Bouquetium *Chronici Saxonici* nomine affertur. Nupero demum scriptori
id


Regis omnes illi Chronographi convenirent, & sua vere dicta vel scripta in medium producerent &, delectis a Concilio sagacioribus & in talibus peritis & expertis, scripta examinarent, & diligenti habita collatione de congestis summarium extraherent, & chronicam compingerent, ac in cœnobicis archivis librariorum pro authenticis Chronicis, quibus fides daretur, scripta reponerent, ne temporum labilitate memoria gestorum in Regno deperirent.

id accidit, ut *Lamberti Schafnaburgensis Chronicon* atque *Herredense* tanquam diversos annales citaret.

C. Eorum vero, qui uno et constanti nomine suo a reliquis solent ab historicis distingui,

a. magna quidem pars illud ab auctoribus sumtum habet, in quibus præter eos, quos supra jam memoravimus, *Adhemari*, *Eginhardi*, *Hepidani* annales aut *Adonis*, *Ditmari*, *Mariani Scoti Chronicon* cum aliis permultis poni debent.

b. Complures vero præsertim ii, de quorum auctoribus non satis constat, sive a locis denominantur, unde in lucem publicam protracti sunt, ut *Bertiniani* annales aut *Nazariani*; sive a locis, quorum usui & historiæ maxime inservire debebant, ut *Chronicon Sithiense*, *Annales Fuldenses*; sive ab Editoribus, qui subinde iidem Codicum illorum possessores fuere, ut *Annales Tiliani*, *Petaviani*, *Loiseliiani*, *Chronicon Baluzianum*, sive ab argumento denique, quod ab illis maxime tractatur, ut gesta Regum Francorum, & quæ sunt eiusmodi. Sed ista tam diversimode facta, haud raro satis inepta, annalium denominatio plures studiosis necessarias reddit cautiones. Primum enim causam huius illiusve nominis, præsertim ubi plura eidem Chronico nomina adhæreant, nosse eos oportet, quam dolemus etiam in ultima Directorii Freheriani editione passim omissam esse. Eam enim ignorantes facile in mirabiles & plane alienas opiniones adduci possunt, ut, si quis ex annalibus Metensibus Metensium historiam, aut Flaviniacensium e Chronico Flaviniacensi discere vellet. Præterea admonendi sint, ne titulorum similitudine decepti plures



& diversos inter se annales confundant. Itaque alius est Chronographus Saxo, alius Annalista Saxo, quorum illum Leibniti-
 tius, hunc Eckardus edidit. Non unus est Andreas Presbyter
 in hoc scribendi genere; alter Ratisbonensis, alter antiquior
 multo Ravennas. Non unum modo habemus Chronicon Ande-
 gavenſe dictum, non unum, quod St. Michaelis nuncupatum est,
 Denique ne quis putet, vel eorum Chronicorum omnium, quæ
 a certis locis aut editoribus tantum denominantur, auctores
 plane nesciri, vel de iis auctoris, quibus hi illive annales
 tribuuntur, nullum ubique dubium esse, quin ab iis aut unice
 aut præcipue profecti sint. Quanquam nos quidem non ubique
 magnam vim in investigandis auctorum nominibus ponere sole-
 mus. Vehementer falleretur, qui iis tantum fidem habere vellet
 annalibus, aut eos semper præferre, quorum auctores certo
 noscuntur. Ista opinio, cum in omni historica auctoritate æsti-
 manda, nisi multa alia accedant, parum valet, tum apud hos
 nostros scriptores singulari iure repudianda est; quod tamen
 heic persequi nihil attinet.

II. Etiamſi enim auctorum *nomina* nos fugiant, illud tamen
 plerumque & facilius inventu est & scitu utilius, *e qua terra*
prodierit, aut cuius historiam maxime quasi domesticam tractet hoc
 illudve Chronicon. De Francicis enim rebus Francicos præ-
 ceteris audire annales, de Germanicis Germanicos, uno verbo
 domesticos in quaque historia testes præferre, plane est rei con-
 ſentaneum. Igitur non minima heic cura esse debet, Chronogra-
 phos istos pro nationum atque provinciarum diverſitate i. e.
 geo-

geographice distinguendi. Id quidem scio non ubique locum invenire, quoniam inter Annales præsertim breviores aliqui sint, in quibus nullum eius rei indicium compareat; tamen ne apud ceteros quidem, ubi ista quæstio nullam dubitationem habere potest, id discriminis observatum satis fuit, sive a Collectoribus horum scriptorum, sive ab iis, qui eiusmodi Chronica ad scribendas historias adhibuere. Ab illis enim et *Luitprandum*, & *Erchempertum*, & auctorem *Panegyrici in Berengarium*, & quos non alienigenas rerum Germanicarum Scriptoribus insertos conspiciamus, qui res germanicas nonnisi sic attigere, ut, servata ratione eadem, sane pauci historici e numero & collectionibus scriptorum Rerum Germanicarum eximendi fuissent: ab his vero non raro animadvertimus, e pluribus Annalistis extraneos præferri in hac illave causa testes, ubi aut domestici aut certe loco propiores magisque probandi suppetunt. Sic *Fuldensium* maxime Annalium auctoritate narrationes de rebus Francicis munire velle, quas e. g. *Bertiniani* aut *Vedastini* retulere, mihi quidem boni Scriptoris *ακριβεια* haud satis dignum videtur. Tamen cum Chronica quædam ex alia terra in aliam subinde propagata & quasi transplantata fuerint, sic tamen ut res domesticæ suis locis insertæ fuerint, cavendum ab his est, ne in errorem abripiamur, quo nihil est in hoc genere facilius.

III. Hi nostri porro Annalistæ *temporum intervallis aut periodis*, quibus describendis operam suam destinarunt, mirum quantum inter se differunt. Quos si, unde ordiantur, exquiramus, alios quidem reperiemus ab ipsa mundi creatione
initium

initium capere, ut *Hermannus Contractus* fecit, alios ab urbe condita, quod *Cassiodoro placuit*, aliquos a nativitate Christi, in quibus *Rhegino* est, non paucos ab historia Francorum ejusque notabiliori quadam parte, ut *Gesta Regum Francorum*, *Eginhardi Annales*. Qua in re neminem debet impedire, quod ejusmodi Chronica non ubique a veris suis initiis expressa videamus. Editores enim nonnunquam veterem historiam ita in iis traditam invenere, ut eam Annalium partem repetere, vel non operæ pretium vel consilio non satis consentaneum videretur. Sic annales *Metenses*, quanquam ab initio regni Francorum ordiuntur, tamen apud Chesnium, & ex eo apud Boucquetium demum ab a. DCLXXXVII. incipiunt. Cum vero inde a quinto seculo innumerabiles ejusmodi historiarum compilatores exstiterint, quorum longe plurimi narrationem suam usque ad sua tempora produxere, nisi mors aut aliud improvisum fatum auctorem prævenisset, facile intelligitur, alium quidem alio, quamvis ab uno eodemque casu aut anno plures ordirentur, ulterius quasi telam pertexere, rarius autem ejusmodi Chronographos in memorabiliori quadam causa aut epocha definere. Unde fit, ut etiam Anonymi inter eos, nisi graviore obfistant ratione, versus finem, quo porrigant, pro coævis haberi recte queant. Tamen primum illud nobis investigandum relinquunt, nisi forte suo id testimonio ipsi, ut nonnunquam solent, prodant, a quonam, quæ ante suam ætatem acciderunt, didicerint: deinde, ubi primarius auctor finiverit, non semper facile eruitur. Quidam enim Annales, post ab aliis continuati, atque alibi una eademque manu descripti fuere, sic ut in ejusmodi codicibus nullum foret diversorum

rum

rūm auctorum indicium, nisi vel diversitas stili, vel alia signa attentum lectorem admonerent. Unde e. g. factum est, ut Fredegarii continuatores pro ipso Fredegario a quibusdam haberentur. Annalium autem eos, qui perexiguū tantum temporis spatium comprehendunt, ita quidem, ut neque, cur hec incipiant, neque cur desinant ibi, ulla probabilis causa compareat, e mutilis Codicibus descriptos esse, recte suspicabimur, & investigantes plerumque audiemus, nisi pro adpendicibus potius habendi sint, quibus antiquiores Annales hic ibi continuati fuere, quasque etiam singulariter passim descriptas esse asserta docent exempla. Apud Freherum Scriptt. Rer. Germ. I. habemus Chronicon Laurisheimense, cujus haud exigua pars esse id, quod a Chesnio T. III. Scriptt Rer. Franc. editum est, facile cognoscitur. Annales autem Vedastini ap. Boucq. VIII. 79. nonnisi supplementum aliorum Annalium fuisse videntur.

IV. Distingui etiam possunt & debent hæc nostra mediæ ævi Chronica *argumenti*, quod tractant, *amplitudine atque varietate*. Alii enim unam unice rem, e. g. obsidionem aliquam describunt, quemadmodum *Abbo* de bellis Parisiacæ urbis durissimis versibus commentatus est: alii gesta aut fata unius hominis vel Principis narrant, ut *Theganus* fecit, aut unius Monasterii historiam, ut *Chronicon Laurisheimense*, aut *Farsense*, aut Episcoporum unius civitatis, domitorumve unius provinciæ acta, ut sunt acta Episcoporum *Autissiodorensium*, ducum *Beneventanorum*, Comitum *Andegavensium*. Qui vero sunt ex hoc genere scriptores, res suas diversimode agunt. Quidam enim, ab argumento primario facile aberrantes, in varias totius mundi aut Ecclesiæ Historias multum &

D

libenter

libenter evagantur: ut est *Chronicon Divionense*, aut *Anselmus de Episcopis Leodiensibus*: pars autem, proposito suo pressius inhaerens, rarius alienas a suis res, easque, non nisi brevissime attingit, ut est, quod supra commemoravimus, *Farfense Chronicon*. Ab his omnibus vero diversi omnino sunt Annalistsæ alii, qui res aut mundi aut simul etiam Ecclesiæ Universæ e quovis tempore, quod complectuntur, notatu dignissimas commemorare, sic ut ejusmodi quorundam Libri *universalia Chronica* vocarentur, ut *Martini Poloni* & *Andree Presbyteri Ratisb.* Talem se præbet Scriptorem *Glober Rodulfus*, in præfatione promittens, se *de quatuor mundani orbis partium eventibus relaturum* esse. Quemadmodum autem prior illa classis specialiori suæ Historiæ multa plerumque e generaliori immisceat, sic vicissim hæc posterior domestica fata universalis, quam potissimum enarrare gessit, historiæ diligentius inserere solet. Ita res est in *Fuldensibus Annalibus*, in *Chronico Floriacensi*, atque alibi sæpe. Imo etiam ipsi auctores suæ vitæ varios casus, quamvis universalibus, Chronicis innectere non dubitabant, ut *Marianus Scotus*, qui ad A. MXXVIII. nihil adnotavit præter hæc verba: „Ego miser Marianus in peccatis fui in hoc anno natus; aliaque de se ad A. MLVI. MLVIII. & sq. commemoravit“. In his aliqui præsertim universalium Chronicorum auctores, qui omnia ordine volebant recensere, singulari nonnunquam methodo usi sunt, ut inter alios *Martinus Polonus* & *Sigebertus Gemblacensis*: quorum ille res civiles ab Ecclesiasticis duabus columnis distinxit, hic quasi synchronisticas tabulas construxit, quibus memorabilia cujusvis anni subseripsit. Reliqui vero promiscue omnino historias suas promississe videntur.

V. Id

V. Id tamen sic instituebant, ut alter altero studiosius *brevitatem* non modo sectaretur, sed & nonnunquam affectaret: quod factum est fere *dupliciter*, tum omitendo plures ejusdem etiam generis res gestas, abs ceteris commemoratas, tum ea, quæ afferuntur, contrahendo in paucissima verba. Sed ponamus exempla:

Ad A. DCCXXX. Annales quidem *Nazariani* nonnisi hæc quam brevissime ajunt: *Lantfridus mortuus*. Iste quis fuerit? an vi peremptus? & qua de causa? frustra ex iis quæris.

In *Tilianis* ad eundem annum hæc leguntur: *Carolus pugnavit contra Lantfridum*. Nil heic de morte Lantfridi: causam tamen ejus facile suspicamur. His jam

Petaviani Annales verbulum addunt: *quando Carolus perrexit SUAVIS contra Lantfridum*; unde illud certe discis, ubi exquirendus sit ille Lantfridus.

Ado Viemensis: *deinde (abiit Carolus) ad Suevos contra Lantfridum, quos ab infestatione nimia repressit*. Nunc demum videmus Lantfridum fuisse Suevorum vel Allemannorum quendam ducem, qui tunc armis Caroli succubuerit, de quo ad h. ann. neque *Mosfiacense Chronicon*, neque *Fontanellense*, neque *Fuldenses Annales* neque *Metenses* quicquam perhibent.

Ad annum seq. DCCXXXI. *Nazariani*: *Karlus vastavit duas vices ultra Ligere, & Raginfridus mortuus est, & Beda Presbyter Anglorum obiit*.

Tiliani hoc unum narrant: *Karolus pugnavit in Vasconia contra Eudonem*.

Petaviani: Quando Karolus fuit Wasconia contra Eudonem, & Raginfredus mortuus est.

Chronic. Moissiac.: Karolus vastavit duas vices ultra Ligerim, & Raginfredus moritur.

Chron. Fontenell. — Karolus perrexit Wasconiam contra Eudonem Principem, qui tyrannidem assumserat & Raginfridus Intarta post annos tyrannidis XIV. mortuus est.

Alter Fredegarii continuator id, quod ad hunc annum communiter omnes referunt, paulo liberalius sic expressit: Per idem tempus Eudone Duce a jure foederis recedente; quo comperto per Intermuncios Carlus Princeps commoto exercitu Ligerim fluvium transiens, ipso Duce Eudone fugato, praeda multa sublata, bis eo anno ab his hostibus populata iterum remeatur ad propria.

Annales Metenses idem sic memorant paulo correctius: — Eodo Dux Aquitaniorum a jure foederis, quod Carolo Principi promiserat, recessit, quo comperto, Carolus Princeps exercitum congregans Ligerim fluvium transit: Eodone vero fugato bis eodem anno Aquitaniam populatus est, multis quoque thesauris sublatis, ad proprias sedes principatus sui, cum gaudio remeavit.

Vides, ut inter breviores etiam annalistas alius alium tum varietate rerum, tum curatori earum recentione superet. Sed plane similiter res se habet apud majores, e quibus minores isti fere sumti videntur, quanquam neque hoc generatim asseverare auisim, neque pro certo dicere, quod ista major rerum varietas ab ipsis Annalium auctoribus semper profecta sit. Haec ipsa etiam, quæ vix attulimus, exempla satis comprobant, majorem
istam

istam rerum gestarum copiam, quam apud quosdam reperimus, non ad omnes & singulos annos pertinere, sed pæne ambulatorem in his scriptoribus esse, sic ut brevissimi nonnunquam exhibeant, aut interponant, quæ ne in verbosis quidem commentariis legimus. Tamen monendi sunt lectores hoc loco, ut ne, quæ in uno occurrunt Chronico, apud alterum reperiendi spem abjiciant, si nihil forte eorum sub eodem anno referantur. Multum enim & sæpe annis differunt, in quos varii varie res gestas rejecere; quemadmodum *Sigebertus Gemblacensis* ad A. DCCXXV. jam occupaverat, quæ reliqui demum A. DCCXXX. memorarunt: *Carolus*, inquit, *contra Lantfridum, Alemannorum ducem dimicat, eoque victo Alemanniam sibi subjugat.* Quædam etiam Chronica adeo contracta sunt, ut ad plurimum annorum numeros una modo res vix verbulo notata sit, ut est apud *Lambertum Schafnaburgensem*, e. g.

A. DCCCXCIV. XCV. XCVI. *Arnoldus Rome Imperator factus.*

A. DCCCXCVII — XCVIII — XCIX. *Arnoldus Imperator obiit, cui Ludovicus filius ejus successit.*

Quorum utrumque de uno tantum e notatis annis intelligitur: ceteri annorum numeri, si ab ipso auctore forsitan prætermitti, a descriptoribus tamen Codicum adpositi sunt, sive, ne quid omisisse viderentur, sive ut locum relinquerent, si quis alius ad vacuos annos adnotare quicquam vellet. Fit etiam, ut, qui antiquiora tempora quam brevissime percurrunt, Annalistsæ tamen post, ubi ad suam propius ætatem accedunt, quasi tenues ab initio rivuli in latiores fluvios exundent, i. e. paulatim prolixiores

fiant, quo in genere nemo alius magis ab se ipso quasi defecit, ipso illo *Lamberto*, quem vix nominavimus, quamvis nec ceteris aliena dici possit ea ratio, nec rei ipsi non consentanea. Sunt denique inter Chronica, quæ hanc quidem periodum aliquanto amplius tractant, illam multo brevius absolvunt, quamvis utramque a fine libri satis distantem, quod inter alios apud *Annaliam Saxonem & Hermannum Contractum* observare licet. Id e diversis causis nasci poterat; vel quod idem auctor diversa Chronica unum post alterum describeret, quæ plerumque ab initio breviora, versus finem fusiora esse solent, vel quod etiam nunc ejusdem Chronici unus nominetur puteturque auctor, cujus pars forsan, tanquam alius auctoris appendix, a criticis secunda foret, vel quod unum aut alterum Chronicon quadam sua parte tantum aliunde fuerit auctum. Suspicio enim, ut apertius, quæ sentio, dicam, ab iis interdum, qui olim ejusmodi Chronicorum Codicibus usi sunt, ea, quæ alibi legerunt, transumpta, illisque inserta fuisse, forte etiam integros annales excerptos, eique, quod in manibus habebant, Chronico summatim additos, sive vacuum in antiquo Codice locum invenirent, sive denuo ipsi omnia describerent. Sic in *Canisiana Hermanni Contracti* recensione longa habemus *Annalium Fuldensium* excerpta, quæ valde dubito, an ab ipso *Hermann* profecta sint: nec mediocriter errarunt, mea quidem opinione, antiquiores ejusmodi Chronicorum editores, cum in quovis pleniori *Annalium* exemplo, tanquam veriori etiam, exultarent atque tripudiarent.

Præ-

Præmittimus alia, quæ tanquam anfas, ad Chronographos nostros in classes diversas ordinandos, arripere possimus, ut *sermonem & universum scribendi genus, Chronologiam*, qua usi sunt, *auctoritatem*, qua ad scribendum invitabantur, *partium studia* que nonnunquam prodidere, & quæ sunt eiusmodi, ut ad aliud quoddam, & illud quidem principale, discrimen veniamus, quod inter hos annalium libros obverfatur.

VI. *Alii enim novam* quandam continent et *sibi propriam Historie recensionem*, sive quod tanquam *αυτοπται*, aut qui omnino res gestas ipsi tractavere, sua conscripserint, sive quod ex traditione, aut aliis jam amissis monumentis, primi aut immediate illa hauserint, quos vulgo *Fontes* vocare solemus: *alii*, hos postea auctores secuti, vel unum vel plures ad verbum magis minusve descripsere, aut contraxere, aut in puriorem, ut credebant, sermonem transtulere, quos omnes in *alteram Classem*, quæ fide & auctoritate sua plane a priori pendet, rejicere consentaneum est. Id quidem generatim enuntiatum, omnes facile vident & intelligunt. Tamen ubi ad exempla venit, & de his illisve Annalibus, num omnino, & quam sua parte vim & dignitatem fontium sustineant, quæstio oritur, multa haud raro & exercitatione & consideratione ad eam solvendam opus est.

Non desunt inter hos auctores, qui, unde suas narrationes sumserint, ingenue aperteque fatentur. Nonnunquam ab initio statim & generatim id significant: interdum de una aut altera Chronici parte maiori circumscriptus suum ducem atque auctorem

rem indicant: denique haud raro, singularia etiam facta quibus testibus referant, solent admonere. Ita *Gregorius Turonensis*, quos in antiqua mundi historia secutus sit, in fronte Historiae Francorum aperit: *de supputatione*, inquit, *hujus mundi evidenter Chronica Eusebii Caesarensis Episcopi ac Hieronymi Presbyteri proloquuntur, & rationem de omnium annorum serie pandunt. Nam & Orosius, diligentissime haec inquirens, omnem numerum annorum ab initio mundi usque ad suum tempus in unum collegit. Hoc etiam & Victorinus, cum ordinem Paschalis solemnitate inquireret, fecit. Ergo & nos, scriptorum supra memoratorum exemplaria sequentes, cupimus a primi hominis conditione, si Deus dignabitur, suum commodare auxilium, usque ad nostrum tempus cunctam annorum congeriem computare. Idem Gregorius haud multo post Severum Sulp. pressius in testimonium vocat, ubi de Abrahamo referens: hoc vero, ait, holocaustum in monte Calvariae, quo Dominus crucifixus est, oblatum fuisse, Severus narrat in Chronica cet. Ad annum CCCCIX, itemque ad a. CCCCXXIV. e Renati Profuturi Frigidari amissa pridem historia unum atque alterum locum *extra quos* affert, ut illustret sua atque confirmet. Regino Prumiensis autem, non mediocri auctoritatis scriptor, cum libro secundo sui Chronici ad a. DCCCXIV. perrexisset, & satis liberaliter & omnino vere adnotat: „*Hec, que supra expressa sunt, in quodam libello reperi, plebejo & rusticano sermone composita, que ex parte ad latinam regulam correxerim, quedam etiam addidi, que ex narratione seniorum audivi. Cetera, que sequuntur, mea parvitatibus studio descripta sunt, prout in Chronicorum libris adnotata inveni, aut ex relatione patrum audita percipere potui — ubi vero ad nostra**

tem.

tempora ventum est, latius sermonem narratione protraxi. Aliter enim, ut Hieronymus ait, narrantur visa, aliter audita. Quæ melius scimus, melius & proferimus. Libellus iste plebejo sermone scriptus, quem in usum adhibuisse Rhegino præ se fert, quis qualisve fuerit, satis jam constat, atque etiam nunc vulgatori *Loiselianorum Annalium* nomine publice prostat: unde illud rectissime & verissime a *Rheginone* dictum esse, abunde cognosci potest. Bene profecto esset, si ceteri omnes tanta cum integritate fontes suos nobis aperuissent. Quamquam non negandum est, aut omnittendum, superesse eiusmodi e variis confarcinata *Chronica*, in quibus singuli adeo loci, unde exscripti sint, posito auctore prodantur; ex quo genere *Alberici* illud esse comperimus, e *Guidone*, *Ottone Frisingensi*, *Sigeberto* & quibusdam aliis fere conflatum, ita ut illico pateat, qua stet unaquæque narratio fide & auctoritate. Quæ res, quamvis admodum speciosa videri queat, tamen lectores sæpe numero parum adjuvat, propterea, quod & multa intersint loca sine nomine & teste allata, de quibus, unde fluxerint, dubii hæremus, & ipsi illi testes propofiti ne pro fontibus quidem historiæ valere semper queant. Ceterum mihi quidem veri non absimile videtur, complures ejusmodi *Annales* ab ipsis auctoribus, additis testium nominibus, fuisse olim compositos; hæc autem nomina post a descriptoribus forte brevitatis studio, aut tanquam superflua, aut ubique, aut passim omiffa esse.

Verum quicquid ejus rei sit, hoc certe oculi docent, permultos illorum *Annalium*, maxime vero breviores, haud paucos

E

etiam

etiam, qui antiquitus jam magnam fidem & auctoritatem consecuti esse videntur, vel omnino nullum auctoris certi nomen præ se ferre, vel unde antiquiorum temporum historias hauserint, plane tacere, ut e duobus alterum nobis relictum sit, aut testes, ut in manus veniunt, numerumque faciunt, citare, aut antea quam uti iis velimus, accuratiori adhibita *κρισει*, & quasi denuo videre, quos in quaque causa tanquam primos & præcipuos auctores, ceteris, qui ab his pendent, postpositis, afferre fas sit. Quorum hoc bene sentio quam sit molestum, illo autem nihil indignius in historia fieri posse, omnes intelligere arbitror. Multi quidem adhuc Annales, quanquam id auctores ipsi non indicarunt, vel ab editoribus, vel postea ab aliis viris doctis, tanquam exempla magis minusve ad verbum aliunde descripta, reperti sunt. Sic *Rhegino*, *Annalista Saxo*, *Annales Metenses*, *Bertiniani*, *Eginhardi* certa quadam periodo nonnisi mera exempla sunt unius cujusdam Chronici. Quod ut ad oculum demonstraretur, seligamus vel unum hujus periodi annum, sumentes textum ex *Annalibus Loiselianis*, cui variantes solum lectiones ex ceteris, quos modo nominavimus, atque ex *Tilianis* comparatione diligenti instituta subnotabimus ^h).

Igitur

h) En, Lectiones varr. *Annalium Tilianorum*, *Eginhardi*, *Reghinonis*, *Bertinianorum*, *Metensium*, *Fuldensium*, *Annalista Saxonis*;

Igitur ad Annum DCCCII. hæc narrant annales Loifeliani.
Herena Imperatrix de Constantinopoli misit Legatum, nomine Leonem, Spatharium de pace confirmanda inter Francos & Græcos. Et Imperator vicissim propter ipsum absoluto illo misit Jesse, Episcopum Ambianensem & Heingaldum comitem Constantinopolim, ut pacem cum ea

DCCCII.) hæc omnia Tiliani ad a. CCCCIII. referunt,

Herena,) Eginh. Rhegin. Iæne, Annal. Metens. & Annal. Saxo. Hirene. de Cpli) Eginh. e Cpli,

Legatum,) Met. add. suum.

Nomine Leonem,) Til. Leonem nomine.

Spatharium,) omitt. Rheg. Met. Annal. S. addunt autem omnes hi: ad imperatorem.

de Pac. confirm.) Eginh. pacis conf. gratia.

Et Imp. vic. ppter ipsum abs. illo misit) Fulds. om. ppter ipsum. Rhegin. & Annal. S. & Imp. Constantinopolim misit. Mets. Imperator vero Cplin misit: Bert. Et Im. ppter hoc ipsum vicissim abs. illo m. Eginh. & Imp. viciss. abs. illo.

Ambianensem) om. Til.

Heingaldum) Fuldens. Heingaudum. Mets. Ingaudum, Til. Bert. Rheg. & Ann. Sax. Helingaudum. Eginh. Helmgaudum

ut pacem c. e. fac.) Unus Annal. Saxo hæc omittit, ponitque: pro eadem causa, & ut postularent Hirenem Imperatricem, ut illi jungerent in conjugio, quæ in hoc consensisset, si non ejus Patricius inhibuisset, prævalens & Imperium ad fratrem suum Nicephorum transferre satagens, Nam

*ea statuerent. Celebratum est Pascha Aquisgrani Palatio. Ipsius anni
mense*

cum adhuc in urbe essent Legati Caroli, Nicephorus Imperium invasit, & Hirenem in Monasterium, quod ipsa construxit, in insula quadam relegavit. (hæc sine dubio ex Theophane sumsit, qui ad ann. Iren. V: Εφθασαν δε οι αποσταλεντες προς την Ειρηνην, αιτημενοι ζευχθηναι αυτην τα Καβαλλω προς γαμον και νασαι τα Εωα και τα Εσπερια ητις υπηκυσεν αυ, ει μη Αειτος στος — εκωλυσε παραδυνασειων, και το κρατος εις τον ιδιον αδελφον σφετεριζομενος.)

Cel. est P. Aq. Pal.) Eginh; C. c. p. Aquisgrani. Bert. Celebratumque Til. Celebravit. ad Aquis. Ann. S. Rex pascha celebravit in eod. Palatio. Rheg. Pascha celebratum est in eodem Pal. Met. P. vero cel. Fuldf. hæc plane omittunt.

Ips. A m. Jul. XIII. K. Aug. Venit) Eginh. hujus ann. Til. XIII. Kal. Aug. om. Rheg. Mets. Ann. S. Eod. a. XIII. Kal. Aug. Venit Isaac cum Elefante & ceteris muneribus, a Rege Persarum missis, in præsentiam Imperatoris. Fulds. Isaac Judæus Elephantum & alia munera, quæ Aaron (Annalium aliqui cum istum Persarum Regem accuratius designare vellent, ita hoc efficere, ut, nostros interpretes etiam optimos & recentissimos ridicule turbaverint. Sic Ann. Lambec. §. 34. ad a. 802. Amormulus Saracenorum Rex Elefantum unum cum aliis muneribus pretiosis dirigit. Lamb. Schn. ad 801, Amarmurmulus Sig. Gembl. 801. Amymarmulym. ad ann. præced. Rex Persarum mittit. Ad primum locum notat Bouq. V. 66. b) Aaron dicitur aliis! Vere hoc nomen ap. Eginhardum, Monachum S. Gall. aliosque exstat. Sed alii aliquid addant: Adon Chron. Elephas a Rege Persarum, Aaron Amilarinum Imperatori mittitur. Tiliiani plane solvunt ænigma; Ibi nuntiatur ei Legatus Aaron Amiralmmuminim Regis Persarum Portum Pisas intrasse. Alterum

mense Julio XIII. Kal. Augusti venit Isaac cum Elefanto & ceteris
 muneribus, quae a Rege Persarum missa sunt, & Aquisgrani omnia Im-
 peratori detulit. Nomen Elefanti erat Abulabat. Ortona civitas in
 Italia in deditionem accepta. Luceria quoque frequenti obsidione fa-
 tigata, & ipsa in deditionem venit, praesidiumque nostrorum in ea posi-
 tum. Imperator aestatis tempore in Ardoenna venatibus operam dedit
 &

rum nomen erat personae (Aaron) alterum dignitatis (Princeps fide-
 lium) aliqui prius saltem, alii posterius, alii utrumque expressere.) Rex
 Persarum miserat, Aquisgrani Carlo detulit.

& ceteris muner. — detulit) om. Til.

Nom. El. erat Abul.) Eginh, Abulaz. Bert. Abulabaz. Til, nomen & Ele-
 fanti est Abulabaz. Rheg. N. Elephantis erat Amulater. Mets, Nom,
 vero Elephantis erat Abulabat, Ann. S. Nomen Elephanti Amulat erat,
 Fulds, haec plane omitunt. Si ex his Varr. liceret lectionem Abul Adab
 constituere, Elephas, quantum didici, dictus fuisset, Pater elegantia,
 & quasi humanitatis studio expolitus,

Ortona Civitas — vastabat) Til, omitt, Rheg. Ostona - - Mets, & Reg.
 & Ann. S. in dedit, recepta est, Bert. in deditione est accepta.

Lucevii quoque) Eginh, Nuceria

& ipsa in d.) Bert, Regis in d.

Praesid. nostror. — positum) Rheg. Mets, Ann. S. Praef. Francorum in ea
 positum est, Bert. nostr. in ea est pos.

Imp.) Mets. Imp. vero.

Venatibus) Rheg. Mets. Ann. S. venationibus. Eginh, Venationi.

Æ, misso in Saxoniam exercitu transalbianos, Saxones vastabat. Grimoaldus Beneventanorum Dux in Luceria Winigisum Comitem Spoletii, qui præsidio præerat, adversa valetudine fatigatum obsedit, & in deditio-
nem accepit, captumque honorifice habuit. Imperator Aquisgrani na-
talem Domini celebravit.“

Eos jam omnes, quorum vel levissimas variationes *Loise-
liana* recensio- ni subjunximus, in describendo hoc anno ex uno
&

In Saxoniam exerc.) Bert, Saxonam exerc.

Vastabat) Eginh. Rheg. Mets. Bert. Ann. S. vastavit. Fulds, hæc omnia breviter, mutato tamen ordine sic; Transalbiani Saxones a Francis vastantur. Ortona Civitas in Italia in deditio- nem accepta & Luceria similiter, positumque in ea præsidium Francorum.

Grimoaldus — in dedit.) Til, sic; Ipso anno Grimoldus Whinigisum ... Rheg. & Ann. S. Grimaldus; Mets. Grimaldus quoque.

in Luceria) Eginh, in Nuceria.

Spoletii) R. M. A. S. Spoletii.

honorifice habuit) R. M. A. S. cum magno honore tenuit. omitt. Fulds, ubi sic; Et Winigisus Dux Spolitanus, qui præsidio præerat, a Grimaldo obsessus & captus est.

Imp. Aquisgrani natalem Dni. cel.) Fuld, om. Rheg. Met. A. S. Aquis N. D. C. Bert. & celebravit N. D. Aquisgrani. A. S. natale Dni. Cel. add. Mets. & Pascha similiter. A. S. præterea: Natal. Dni. Celebr. Eodem anno Bougul-
fus Abbas Fuld. Cænobii relicta, quam habuit potestate, Ratgarium suc-
cessorem accepit. Quæ ad verbum ex Ann. Fuld. Eo anno. accepit
quibus addunt hi Fulds. Paulinus Patriarcha forojulien- sis obiit,

& communi fonte hauisse, quis non credat, aut potius sentiat? Sed quis ille fons sit, utrum ex his unus ipsis, quos praesentes habemus, an alius praeter istos omnes, alia quaestio est, saepe admodum difficilis, haec certe non nimis obscura. Nam e Loiselianis nullum prope dubium est, quin ceteri omnes sapuerint, si quidem sint iidem illi plebeii, quos secutum se esse Rhegino paulo ante professus est. Quanquam horum etiam auctorem Tilianos exscripsisse, doctissimi aliqui in hoc genere viri opinati sint; tantum tamen abest, ut hanc sententiam confirmare queam, ut Tilianos potius Annales hoc loco epitomen esse Loiselianorum mihi persuadeam.

Sed facile obvia & plana res est, ubi in exempla *unice* & *ubique*, & *per majus quoddam temporis intervallum* ad verbum repetita incidimus. Novimus autem, a quibusdam antiquiores Annales ita fuisse descriptos, ut dictionis barbariem & obsoleta verba corrigerent, stilumque immutarent. Quod tamen ita plerumque factum esse existimo, ut raro admodum impedire queat Criticum, cui descriptum Chronicon invenire & conferre contingit. Namque, ut *Rheginone* utar, quem supra audivimus profitentem, se, quae in libello quodam plebejo invenisset, ex parte ad latinam regulam correxisse; is in eo negotio ita se gessit, ut nemo esse queat, quin *Loiselianos* Annales istum libellum fuisse concedat, aut *plebejum* auctorem in *Rheginone* recognoscat. Sed addemus his aliquid, quod ab aliis observari equidem non memini. Pro antiquatis quibusdam formulis apertum est, *Rheginonem* saepe alias posuisse, quae suo tempore facilius intelligerentur. Tamen eum video
 quas-

quasdam retinuisse, quas postea *Metenses Annales* repudiarunt, qui e. g. *Legiones* dicunt, quas ille cum *Loiselianis* adhuc *Scaras* vocat. Unde suspicor *Metensium Annalium* auctorem non immediate e *Loiselianis*, sed ex *Rheginone* hausisse, quem sic, ut iste plebejum libellum, tractaverit. Et sane multa alia pridem potuissent rectius subtiliusque in hac causa definiri, si ad istas mutationes aut correctiones attentius docti lectores accessissent, debebatque inprimis hac ratione & ope numerosum illud genus descriptorum investigari, quod sua non ex ipsis fontibus hausit, sed ex secunda aut tertia demum manu, quæ narrat, accepit.

Multi autem multos ad verbum quidem passim secuti sunt, sic tamen ut & mutaverint quodammodo verba & multa aliunde sumta interposuerint, & plura vicissim omiserint, quæ ad consilium suum parum pertinere viderentur. Apud *Hermannum Contractum* e. g. ad a. DCCCLXXI. hoc fere modo exscriptos animadvertes *Annales Fuldenses*, & simili ratione *Otto Frisingensis Rheginone* ufusest, ubi e. g. de *Carolo Crasso* sententiam fert, aut *Hungaros* describit, qui seculo IX. Germaniam tantopere vastarunt. Tamen etiam hi, nisi suos ipsi auctores indicant, & ordine rerum & judiciorum dictionisque similitudine non difficulter produntur, præsertim, ubi unum modo antiquiorem Chronographum pressius sequuntur. Sed nec hoc quidem semper locum habet.

Primum enim multi Annalistsæ, inprimis qui historiam altius repetunt, atque e limpidis fontibus haurire cupiunt, non uno tantum auctore, sed pluribus utuntur hætenus, ut ubi fons unus
exlic-

efficatur, ad alium ascendant h. e. unum post alterum probatum aut coævum testem sibi deligant, quem suæ narrationi inferere queant. Sic, ut e celeberrimis exempla sumam *Bertiniani Annales* qui ab a. DCCXLI. usque ad a. DCCCLXXXII. excurrunt, *Loiselianos* quidem ab initio & prope unice repetunt, inde vero, ubi illi desinunt, alios describunt, qui sub Eginhardi nomine circumferuntur usque ad a. DCCCXXX. Tum vero coævus scriptor suam ipsius narrationem incipit. *Rheginonem* in *Metensibus Annalibus* exprimi, nemo facile, qui unquam has literas attigit, ignorat. Sed magnus error esset, id quod omnes in ore ferunt, sive de *toto* Rheginone sive de *universis* Metensibus Annalibus intelligere. Sunt multi anni, quibus cum quovis alio potius quam cum Rheginone conveniunt, ubi e. g. a Fuldensibus pendent.

Deinde reperiuntur etiam ejusmodi Chronica in quibus fere singulis annis res e pluribus auctoribus congestæ sunt, de quorum nomine aut fide parum aut nihil nobis significarunt. Ex hoc genere sunt *Marianus Scotus*, *Sigebertus Gemblacensis*, *Chronicon Turonense*, atque etiam *Alberici* cum pluribus aliis, quæ, quanquam subinde testes nominant, multa tamen, ut supra monuimus, sine teste ponunt. Quo loco non possum non reprehendere Bouquetium ⁱ⁾ qui alicubi asserit, totum Sigeberti Chronicon describi in Alberici Chronico, sæpius Sigeberti nomine expresso, interdum omisso; quod nos quidem, qui hanc utriusque partem de qua id monuerat Bouquetius contulimus, longe aliter

i) Tom. VIII. p. 308. not. a).

aliter invenisse nobis videtur. Multa quidem e *Guidone*, plura ex *Ottone Frisingensi*, haud pauca etiam e *Sigeberto* allata conspeximus, totum autem Sigebertum nullo modo. Igitur in his annalibus, quanquam de aliqua parte, unde proficiatur, constat, tamen diligenter sejungenda est altera & denuo examinanda, ut forte, unde sumta sit, discamus, eaque etiam in historia tuto & secure uti queamus.

Quibus omnibus illud existimo perspicuum esse redditum multum adhuc laboris superesse, ut in historia ævi medii cujusque temporis & gravioris causæ testes cœvi aut immediati aut primi demonstrantur. Quæ enim adhuc in hoc genere inventa sunt, non tam singulari quodam instituto & de proposito effecta fuisse, quam secunda sæpius fortuna accidisse videntur. Neque etiam spes nobis est, facile quod vellent consecuturos esse eos, qui Annalistarum, præsertim majorum, libros unum post alterum, arriperent, eosque in suas partes, quoad a diversa pendet auctoritate resolvere aut in veros fontes reducere tentarent. Cui conatui tria maxime obstare & fortiter sensimus & ægerrime tulimus, tum multitudinem varietatemque horum scriptorum tum variam quam undequaque passi sunt & prope infinitam interpolationem, compositionem & permixtionem, tum denique supremam illius ætatis incuriam, qua sive auctores Chronicorum sive ea excerptantes, augentes, continuantes, describentes, & suam & ducum suorum fidem infauste miscerent, suum autem cuique in narrando tribuere communiter supervacaneum arbitrarentur. Multa hæc forsitan illustrarent docerent.

que

que antiquiores præcipuorum Chronicorum Codices, si vel superessent, vel accuratius a peritis harum rerum & inspicerentur & describerentur. Quod cum ob varias causas vix jam sperari queat, ne coævi atque immediati historiæ mediæ Conditores, quorum plures uno tempore & poterant esse & vere sæpius extiterunt, cum exemplis suis tam turpiter porro confundantur, hæc tantum una nobis via relicta esse videtur, ut eorum scriptorum examen instituturi per admodum brevia temporum intervalla eamus, pro quibus singulis quotquot habemus Annalistas, qui illa tractarunt, evolvamus comparemusque hoc pacto & ordine, ut initium a nobilioribus faciamus atque ab iis qui quæ in illos annos inciderunt aliquanto amplius & liberalius commemoravere. In his quidem & res ipsas, quas retulere, cum adjunctis suis considerabimus, & ordinem, quo ab una ad alteram progrediuntur, & ipsam dictionem, qua gesta recensuere, & judicium denique, quod forte de eorum causis aut de consiliis hominum interspergunt; quo factò non admodum obscurum aut dubium manere poterit, quinam eorum tum suo Marte enarrarint, quæ protulere, tum ceteris veritatis amore & judicii vi antecellant, quos igitur & nos in re quaque audire maxime & sequi deceat, nisi ejusdem ipsi, cujus illud ævum accusamus, ἀγιστίας rei esse velimus.



[Faint title or header text]

[Faint, illegible text block consisting of several lines of a handwritten or printed document. The text is extremely faded and difficult to decipher.]





Na 40.
ju

ULB Halle 3
002 184 532




sb

LD 78

MC







12 3

3

DISSERTATIO
DE
ANNALIUM MEDII ÆVI
VARIA CONDITIO

QUAM
RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO AC DUCE
DOMINO

CAROLO

WIRTEMBERGIÆ AC TECCIÆ DUCE REGNANTE
REL. REL.

PRÆSIDE
CHRISTIAN. FRIEDER. ROESLER
HISTOR. PROFESS. PVBL. ORD.
PRO RITE CONSEQUENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI
HONORIBUS
DIEBUS SEPT. A. MDCCLXXXVIII.

PUBLICÆ DEFENDENT
CAROLUS FRIEDERICUS SARTORIUS, *Baccangensis*,
BERNHARDUS FRIEDERICUS KIND, *Monachovilanus*,
CAROLUS CHRIST. FERDINANDUS SIGEL, *Alto-Twiel*,
IOANNES PHILIPPUS WEIGELIN, *Tubingensis*,
GEORGIUS AUGUSTUS GRIESINGER, *Stuttgardianus*,
CHRISTIANUS DANIEL FUCHS, *Eberstadiensis*,
SERENISSIMI STIPENDIARI ET MAGISTERII PHILOSOPHICI
CANDIDATI.

TUBINGÆ
LITTERIS SCHRAMMIANIS.

x - 3 1/2

